DE B. ANTONII ABB. PERFECTIONE

ORATIO

HABITA CAMERINI IN SACRA D. ANTONII AEde ipsis Antonianis Ferijs CIↃIↃCIX. *à* FRANCISCO *V*OGLIA *Camerte anno aetatis suae* XII.

ΑΠΟΤΕΛΕΣΜΟΝ

ὁ τοῖς ἐπιπόνοις ἀνθρώποις θεὸς ἀγαθοποιὸς τῆς ἄνευ εὐσταθείας προΐεσθαι οὐκ βούλεται.

AD ILLVSTRISSIMVM, AC REVERENDISSIMVM Iohannem Baptistam Constantium, Archiepiscopum Consentinum Gubernatorem Camerini, &c.



CAMERINI,

Apud Franciscum Ioiosum. De licentia DD. Superiorum. 1609.

ILLVSTRISS. AC REVERENDISS.

IOHANNI BAPTISTAE CONSTANTIO,

CONSENTINO ARCHIEPISCOPO, GVBERNATORI CAMERINI, ETC.

FRANCISCVS VOGLIA CAMERS. S. P. D.

BEATVS ille mihi vere videtur esse (Illustrissime ac Reuerendissime Domine) qui in hac mortali vita de se iure potest dicere γηράσκω δ' αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος: dedit enim ipsa Natura hominibus breuissimum viuendi spatium, quod si otio transigunt, mirum est quam pecudibus non dissimiles efficiantur. Verum ex immensa sciendorum copia, illa sunt (vt par est). ceteris praeferenda, quae ad DEI gloriam, nostramque salutem proxime accedunt. Id profecto incepit mihi insidere in animo cum primum licuit adire Seminarij Camerinensis limina, vbi illud praecipue curatur, vt Alumni, & Conuictores, immo etiam externi Auditores, inter quos, & ipse sum, praeter ingenuas artes ad pietatem etiam informentur, & sacris quantum licet imbuantur. Hic Petrus Saluius Asisinas Praeceptor me humanissime exceptum statim hortatus est ad agendam de sacro aliquo argumento Orationem. Distuli quidem diutius, opportunam expectans occasionem, cum ecce instant Feriae Antonianae, quae me ad dicendum in ipso D. Antonij Templo coram Te, & Nobilibus Camertibus inuitarent. Dixi quidem vt aetas, vt tempora ferebant; sed tamen mihi ipse non satis fecisse putaui, nisi, vt Seminarij sollemne est, Orationem meam in lucem proferrem. Consultus autem Doctor meus, re diligenter perspecta, Nonne (respondit) Puer ἡ συνείρησις τὴν ψυχὴν πλήττει; nonne memoria tenes M. Antonij Oratoris sententiam de non mandandis scripto suis Orationibus? Non facio (inquit) vt inficiari queam à me dictum esse si quid forte aliquando dixi, quod opus non erat. Caue tibi Francisce οὗτοί γε οἱ λόγοι χαλεποί. Nosce πενίαν, καὶ ἀπορίαν tuam. His tametsi veris rationibus adduci numquam

potui, vt prouinciam desererem, aut dicto parerem: sed libere sum professus me omnino Tibi eam nuncupaturum, cuius σεμνότην non adeo timui, vt oblitus essem Auditores fere omnes qui affuerunt ita mihi non sine admiratione dixisse. Gubernator humanissimus in te audiendo Πατὴρ δ' ὡς ἤπιος ἦεν. Audaculus appeller licet, nihili facio, modo ceteri de me sentiant Ille θείων ἐκίχανεν ἑτέρους. En igitur Oratiunculam hanc festinanter dictatam, raptim habitam Tibi vni dicatam volo, oculatus in hoc, quod sermonem de Perfectione Viro Perfectissimo in Perfectionis statu praefulgente optime accomodatum fore vidi; cuius Viri laudes non ab externis aut corporeis bonis (quae in Te summa esse intelligo) petendae sunt; at ab animi dotibus, quibus gloriam, atque immortalitatem communi omnium iudicio in Tuo Consentino Archiepiscopatu, & in Amplissima Camerinensi Ditione Tibi comparasti. Faxit Deus, vt hunc qualemcumque laborem non inuitus aliquando respicias; nè spe omnino cadam me Tibi posse aliquo modo rem gratam paenitusque non indignam offerre. Vale Ciuitatis nostrae integerrime Moderator, meque Patrem, & Praeceptorem meum Tibi addictissimos in Tuam clientelam accipe. Camerini Kal. Maij CIↃIↃCIX.

DE B. ANTONII PERFECTIONE.

ORATIO.

NON possum facere, quin moleste feram (Illustrissime, ac Reuerendissime Domine, Illustres Quinque Viri, Vosque ceteri Auditores ornatissimi) ad nostra infelicissima tempora id etiam accedere mali; ut diuinum eloquentiae donum à DEO hominibus datum ijs coinquinetur, quae uel procul absunt ab eius natura, uel si coniuncta sunt nulla prorsus cum dignitate tractentur: sunt enim hac tempestate perfrictae frontis homunculi, qui popularis aurae gratia, nouis excogitationibus delectati, neglectis Patribus Ecclesiae Catholicae uere luminibus, proque auro arrepto aere, ac pro argento plumbo, dum se iactant Oratorum Collegio nomen dedisse, seu de profanis agant, seu sacra uix attingant (quod efficiunt cum digito Caelum ferire uideri uolunt) nulla diuinae gloriae humanaeque salutis habita ratione, se gerunt adeo superbe, adeo inconcinne, ut uiri docti non sine nausea uix patiantur: qui toti antiquitati inaudita audientes inuiti anguntur eo magis, quo uulgus ignarum ignaris immeritas laudes tribuit reclamante ipsa dicendi Arte. Faciunt hi nae intelligendo, ut nihil intelligant, meque unum e multis laedunt, qui eorum ineptiolas dum innuo, miserias nostras deploro; nemini per me quidquam detractum uolo, tantum me cum doctis in hoc etiam sentire declaro. Nonne eloquendi scientia ad Reip. usum inuenta est, ac propagata? Quid prosunt fabulae? Quid speculationes inanes? Garritus minus quam pueriles? Ostentationes omnino ridiculae? Vbi grauitas? Vbi decus? Vbi maiestas Oratori praesertim Christiano pernecessaria? Desunt ne argumenta, quae illustrissimam efficiant eloquentiam? Nostis (Viri Camertes eruditissimi) quam lati, quam feracis agri in sacris litteris haeredes nos instituerit summus Ille rerum omnium Opifex, & Dominus, qui castis ueris serijs utilibus, & ex imo pectore manantibus eloquijs mirifice delectatur. Quis nescius est suadendas uirtutes, dissuadenda uitia? Cui non est exploratum culpae accusationem hominis defensionem humanitatis esse? Haec autem li-

cet omnia praeclara sint munera, laudatio tamen Iustorum, mea quidem sententia, cetera antecellit: quoniam quemadmodum illi aeterna sunt gloria donati, ita nobis, & dicendi copiam fecerunt, & sanctissimae uitae monumenta meruerunt amplissima. Ego igitur, ut aliquando sapere incipiam, ausim hodie pro meo iure de Diuo Antonio uerba facere, responsurus uotis Matris Ecclesiae, cui est haec de eo sacra dies, pietati uestrae (Patres a DD. Benedicti, ac Siluestri familia ad hoc templum sanctissime incolendum uocati) obsecuturus; mihi uero ipse, qui semper tantum Cœnobiarcham praecipue ueneratus sum, satisfacturus. Adeste quaeso animis (Auditores ornatissimi) dicenti mihi. Puer est qui dicit, de Caelicola dicit, in nobilissimo uestrum consessu dicit; neminemque habens ubi tutius suam spem collocet, quam Vos, post Dei Antonijque opem humanitatem uestram, quam sibi in grauissimo negotio non defuturam confidit, quo enixius potest, implorat. Nolite uero putare me horae quadrante posse, aut uelle res omnes a sanctissimo Patre praeclarissime gestas enarrare; quod esset arenam maris, pluuiae guttas (ut Ecclesiastici uerbis utar) & dies seculi dinumerare; immo sentio deesse mihi otium, deesse uires, uobis autem satis superque apertum esse totius uitae curriculum Patris nostri: at si de Antonij Perfectione nonnulla eo uobisque non indigna proferam in medium, optime rationibus meis consuluisse uidebor. Tria uero edisserenda in re tanta propono: primum indicabo quibus instrumentis usus est Sanctissimus Ille ad Perfectionem acquirendam; deinde iam acquisitae mira adiungam indicia; demum quid per eam consequutus sit explicabo. Haec si uideantur esse per pauca, multo plura perpendere uobis per me licebit. Humanissimus Doctorum Doctor Iesus Christus cum perfectus Deus, & perfectus homo in humanis esset, nihil se magis exoptasse significauit, quam suos Asseclas inspicere omnibus numeris absolutissimos: ac propterea estote (clamabat) perfecti, sicut Pater uester caelestis perfectus est. Videte quaeso, & obstupescite mecum quid a nobis postulet suauissimus Conditor, & Magister. Estote (inquit) perfecti, non sicut Patriarchae, aut Prophetae, immo neque sicut diuinae Mentis, sed sicut Pater uester caelestis; non mediocrem, sed summam cupit in nobis perfectionem & quam in Deo tantum possimus contemplari. Quod si in rebus creatis non nihil boni intueamur; illae tamen quantum uis excellentes, humanisque oculis admirabiles omnia debent bona accepta referre illi, qui solus bonus est; nobis autem ad summum bonum adspirantibus, unde bona cuncta procedunt, inde bonitas est expetenda. Nemini profecto interdicitur posse Viros iustitia praecellentes imitari, modo eorum sanctitas non imbecillae naturae, sed Bonitatis diuinae dignoscatur munus: nemini uero conceditur, tametsi humanam superaret sortem, diuinam assequi Bonitatem; at quisque iubetur illius, quantum licet, teneri cupiditate, ut aliquando

particeps

particeps fiat. Verum quid refert (dices) immortalis Dei, qui bonorum nostrorum non eget, uilissimas bestiolas non modo bonas esse, sed & perfectione cum ipso caelesti Patre certare? O immensa, ò imperscrutabilis, & omni aeuo praedicanda diuinae Bonitas Naturae; agnosco, agnosco (quis adeo mente destitutus haud nouerit?) omnem in Te boni rationem. Tu iam inde ab initio aeternitatis ita in sacrosancta resides Triade, ut ibi perpetuo dominatura dignoscaris. Tu omnia imples, omnia foues, omnia ad frugem auxilio tuo uis peruenire. Sol hic (Auditores) quem oculis uix ferre possumus, si solus sibi luceret, caelestia, ac terrena suae luci deberent nihil, suam uim agnosceret nemo, priuaretur mundus suis beneficijs; atqui à communi Praeceptore edoctus praebet se conspiciendum omnibus, totique sese orbi singulis momentis palam facere gloriatur: ita Deus noster omnia creat, omnia gubernat, omnia seruat, omnia ad finem perducit, omnia uult esse bona: sed hominem, in quo effingendo peculiari consultatione Diuinitatis imaginem, & similitudinem clausit, uult esse perfectum instar illius, qui est omnis perfectionis Auctor. Estote perfecti sicut Pater uester caelestis perfectus est. O uox suauis, ò iucundum inuitamentum, ò caeleste monitum omnibus exhauriendum auribus, conscribendum in cordis penetralibus, non ferreis, non adamantinis, sed uere aureis notis. Beatus qui te audit, beatior qui te intelligit, beatissimus Antonius qui tibi uix percepto paret. Quis igitur pie non inuideat Antonio? quis non admiretur illius optimam perfectionis cognitionem? quis eum, ut ille Christum, non sequatur? Is, dum Rei sacrae interesset (audite Viri euangelicae Doctrinae sectatores, discite iam ab Antonio decerpere e sacris litteris insitum fructum) ubi primum Euangelij uerba decantari percepit (Si uis perfectus esse, uade, uende omnia quae habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in Caelo, & ueni sequere me.) dicto citius ueluti tantum sibi caelitus delapsum sit Oraculum, diuino afflatus Numine uadit, uendidit, dedit, & incensus amore caelestis thesauri sequutus est Iesum, quo duce perfectissimus fieret. Quo uadis Antoni? E mundo ad Caelum. Quid uendis Antoni? Res, honores, animi dotes, omnia quae habeo, me ipsum. Cui das Antoni? Pauperibus, idest Christi membris, Christi delicijs, Christi oculorum pupillis. Quid speras Antoni? Thesaurum in Caelo. Quem denique sequeris Antoni? Sequor discipulus Praeceptorem, Medicum aegrotus, ouis Pastorem, Patrem filius, seruus Dominum, Creatorem creatura sequor, & ita sequor; ut certus sim quia neque mors, neque uita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit me separare à caritate Dei, quae est in Christo Iesu Domino nostro. Videtis iam hominem uere Philosophum, qui optime à sapientiae Auctore institutus, posthabitis domesticis commodis, uitatis necessarijs,

cessarijs. percalcatis omnibus, quae Deum non sapiunt, confugit ad Crucem Christi; superatis impedimentis, in uastam secedit solitudinem; deuictis Pseudoprophetis Iesum Praeceptorem audiens, arma lucis indutus, munitus fide, collum suaui obedientiae iugo uinctus, renes zona castitatis praecinctus, totus ueteri homine spoliatus, ut nouum idest Iesum Christum indueret, bellum innumerabilibus indicturus hostibus proficiscitur solus; si solus est existimandus qui Deum exercituum ducem, Angelorum miriadas comites, & consultores habet. Factum autem sine peculiari diuinae Prouidentiae intuitu ne arbitremini; ut loca Thebaidis inculta huic nostro crederentur: ea enim regio est Gessen (si Hieronymo credimus) quam incolendam Rex AEgypti Iacobo & filijs dederat. Re uera huiusce loci felicitas restituta uidetur, cum Antonium habuit habitatorem: nam olim Pharao concesserat, modo Deus dat: iam Patri multarum gentium, modo Monachorum in Christo Genitori: iam gregum Pastori, modo ei, qui Dei ouis est, & ouium Pastor uigilantissimus: iam seni, modo annis quidem iuueni, mente autem cano. Illud uero maximopere obstupeo, quod Antonius tunc seueriori poenitentiae se totum tradere cepit, cum duodeuigesimum aetatis attingeret annum, quo certe tempore genio ceteri potissimum consueuerunt indulgere, & natura postulante (ut Hyppocrates auctor est) ad fundenda in omnes partes membra multo egent alimento: sed angelicus Adolescens corporeas escas, ubi caelestes adessent, ratus superuacaneas, non adhuc carneis solutus uinculis (quae diuina est liberalitas) Nectare, & Ambrosia summa cum delectatione reficitur. Ita facillime, & per compendium ad tam sublimem perfectionis statum ascendit, ut merito multi etiam sanctissimi Viri eius prope diuina facinora stupore maximo mente reuoluerent: quis enim mortalium primus homines Deum ne ab eo unquam diuellerentur, praesentem semper habere docuit? Antonius: Quis Arianam impietatem per uisum acceptam clarius praedixit? Antonius: Quis humani hostis fraudes melius palam esse curauit? Antonius: Quis truculentam, terribilemque Sathanae formam magis intrepide substinuit? Antonius: Quis tartareas copias ad bellum prouocauit audentius? deterruit facilius? fugauit ocius? prostrauit fortius? Antonius: Quis meruit ut sui tantum nominis inuocatione Cacodaemon a lymphatis in aeternos cruciatus eijceretur? Antonius: Quis tanti fuit, ut sui certaminis spectatorem se fuisse Christus Iesus magno utriusque gaudio profiteretur? ille idem Antonius: Quae omnia, & multo plura consulto iure temporis angustia omittenda, fecerunt; ut durus ille Arianorum malleus Athanasius primus omnium ex Asia uiuentis adhuc Antonij felicissimos in Perfectione progressus Romam deferens multos ad eius imitationem inuitarit, & duxerit. Confluebant ex toto terrarum orbe cuiuscumque ordinis, aetatis, ac sexus homines ad Antonium. Qui terras ab Oriente ad Occiden-

tem

tem colunt, quique à Septemtrione ad Meridiem, Antonium quaeritare, Antonium conuenire: Diceres aliquando Mundum Antonij tuguriolo contegi. Hic ardebat sanctitatis monita accipere, is mille animi, corporisque aegritudinibus mederi poscebat, alius curis leuari, ceteri cetera petebant, & statim per Antonium uoti compotes fiebant. Quid? Non ne Constantinus Imperator, nonne filij suam, Imperijque salutem perspectae Antonij sanctitati humiliter commendarunt? commendarunt autem? Immo crediderim (si minus sibi ipse rigidus, minusue humanarum rerum contemptor cognitus fuisset) clauum totius Reip. tenendum quam libentissime ei credidisfent. Verum cum neque AEgyptus, neque Asia, neque Mundus uniuersus, quasi angustissimus angulus, famam tanti Viri caperet, nil ultra praestare potuit, quam de tam miro spectaculo maximos excitare plausus, primas Antonio deferre, illumque (praesertim Petri Nauicula huc illuc naufragio expulsa) Patronum adoptare, sanctissimum praedicare, diuinum hominem colere: atque, ut praeclara eius monumenta perpetuo extarent, non defuere Viri doctrina, & sanctitate celeberrimi, qui res ab eo supra humanum captum gestas litteris commendarent, & posteritati semper ueneran-dàs legarent; ut ille idem Athanasius, Socrates, Sozomenus, Theodoretus, Chrisostomus, Nicephorus, Hieronymus, Augustinus, Rufinus, Casiodorus, Vsuardus, Maurolicus, Ado, & sexcenti alij, quos breuitatis studium recensere non patitur: quo factum est ut quingentis, & mille ab hinc annis eius fama aeternum duratura percrebuerit: sed haec quae sanctisfimus Pater numquam non nihili fecit, missa faciamus & nos: neque enim diuitias amauit, neque honoribus tactus est, neque populari aura delectatus, neque potentia elatus, neque corporis, animiue oblectamentis gauisus, neque ullo creato bono captus est umquam: at omnia arbitratus stercora, ut Christum lucrifaceret, ponens thesauros in praeceptis Altissimi Te (bone Iesu) Te corde concupiuit, Te ore inuocauit, Te (inquam) qui es thesaurus optimus, thesaurus fons aquae uiuae, thesaurus immortalitatis, thesaurus sine defectione sanctitatis, thesaurus in quo sunt omnes thesauri sapientiae, & scientiae absconditi. O quoties Te precibus sollicitabat, quoties obortis lachrimis pro peccatoribus obstrepebat auribus pietatis, quoties exclamabat, Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Num putatis tam anxie expetenti filio se se negare potuisse humanisfimum Patrem? Immo ut Dominus stetit ad ostiolum Antonij, & pulsauit, ita confestim seruus aperuit, illeque ingressus coenauit cum famulo ad coenam magnam in Regno Caelorum inuitando. Hic, hic (Viri gloriae cupidisfimi) laborum praemia Christi Athleta recepit: hic quem uoluit uidet: hic quem desiderauit tenet, in quo sperauit comprehendit, quem amauit fruitur; hic Aurea, hic (ut aiunt) Aureola, hic fructu plusquam

centesimo

centesimo potitur: hic ad praestitutum tempus corpus augustissimum Spiritus Sancti Templum miris dotibus ornatum habebit: hic inter Angelos, ac duodecim Iesu Christi comites immensa exceptus pompa non cessat quotidie cum eis una uoce clamare Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum. O Te (sanctissime Antoni) opinione omnium feliciorem, qui adolescens humana omnia floccifecisti, uiginti, & centum annis Te singulare Perfectionis specimen mundo praebuisti, multos tui instituti, uitaeque rigidae disciplina, & legibus obstrictos reliquisti, tamque diu cum tribus infensissimis hostibus feliciter pro Christo dimicasti, cuius uirtute uenisti, uidisti, uicisti; qui hominibus admirabilis, Daemoni formidabilis, Caelitibus familiarissimus ad aeternas euolasti sedes, ubi pro terrenis thesaurum non deficientem reperiens, factus es ex ijs, qui cum Dei filio sedebunt Iudices, cum uenerit in Maiestate ad separandas ab hedis oues. Quaeso Pater amantissime iam Conditori tuo proximus respice in nos, miserere aerumnarum nostrarum, tangant Te mala nostra. Tu militiae praemia recepisti, nos pauidi, minis deterriti hosti terga damus: Tu palmam accepisti, nos ancipiti proelio adhuc detinemur: Tu perenni securitate gaudes, nos incredibili molestia discruciamur: Tu beatus Aeuo perfrueris, nos mortis (pro dolor) terrore angimur. Agesis Pater, dirige pietatis oculos in hanc Tibi addictissimam Ciuitatem, & praesta; ut mala, quae nos premunt, procul arceantur, & nos à mundi illecebris abhorrentes Te Magistrum. Te Ducem sequamur in hoc ergastulo quo usque in Caelo per Te immutabili donati Bono, laudemus eum, qui in Te, ut in ceteris Sanctis est supra quam cogitari possit admirabilis. DIXI.

F I N I S.